

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0328

0326

0332

0322

0337

0317

0377

0277

0427

0227

0827

315

attendens nec ad nobilitatem nec divitias, sed solam speciem, ut placitam duceret uxorem. Et inventa est filia regis Armeniae, quam cum postularet, assensit pater et puella sub hac conditione, ut dimitteretur servire Deo suo, Domino Jesu Christo, et non cogeretur subire ritum Tartarorum. Accepta autem conditione imperatori, cum adducta fuisset, optime placuit, et nuptias celebravit, et statim concepit et peperit filium, ita tamen deformem, ut vix in eo humanitas appareret. Casanus autem turbatus consilium habuit cum suis prudentibus, quid faceret de illo turpissimo puero? Cui responderunt, quod puer ille non esset conceptus ab homine, ideo tam mater quam infans igni tradi deberent. Cum autem rogas ad hoc pararetur et mortis sententia significata esset, juvencula postulavit illa, hanc sibi gratiam fieri, ut more Christianorum liceret sibi sacramenta sumere et filium baptizari. Quibus peractis et (289 A) filio baptizato, cum de aqua levaretur, subito puer mutatus est in alterum et apparuit ita pulcher et generosus, sicut quicumque alius in orbe reperiri posset. Ex tam evidenti signo nimis lactificatus Casanus non solum immunem esse voluit uxorem suam cum prole a morte, sed eam imperatricem decrevit et cum magna solennitate ipse et populus suus baptismum suscepit. Instructus autem in fide cum accepisset, quod Sarraceni infideles loca redemptionis nostrae possiderent, immane sacrilegium judicavit esse et plurimum ammirabatur de Christianis, quod hoc sustinerent, statimque Soldano Aegypti inimicitias denunciavit et ad capiendam terram sanctam et Jerusalem se paravit. Venit ergo ducens secum in Syriam contra Soldanum Aegypti copias CC. millium Tartarorum, et cum istis secum traxit exercitus regis Armeniae et regis Georgiae, qui etiam inimici erant Sarracenorum. Ingressus ergo terram sanctam omnia devastare coepit. Cui Soldanus cum ingenti exercitu occurrit et horribile bellum gestum est cessitque victoria Casano et fugatus Soldanus dereliquit Syriam et in Aegyptum descendit. Casanus autem civitates Syriae cepit, inter quas civitas sancta Jerusalem capta est a Christianis anno Domini 1299., anno octavo post expulsionem Latinorum a civitate Achonensi. Casanus autem intrans civitatem sanctam devotissime loca

Ende

Anfang